



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones Clementis XII. ab Anno I. usque ad IV.

**Luxemburgi, 1740**

CXXVI. Constitutio, qua pro indemnitate Communitatum & Populorum  
totius Status temporalis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, facultates, per  
Summos Pontifices Congregationi Boni Regiminis contra debitores ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74733)



liſque inſolabilis Apoſtolice firmitatis robur ad-  
ficimus, ac omnes & ſingulos juris & facti defe-  
ctus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint,  
ſupplemus.

Claſula.

ſ. 3. Decernentes, eaſdem præſentes literas  
& Conſtitutiones præinſertas ſemper firmas, vali-  
das & efficaces exiſtere, ſuoſque plenariòs & in-  
tegròs effectus fortiri & obtinere; ac illis, ad  
quos ſpectat & pro tempore quodcumque ſpec-  
tabit, in omnibus & per omnia pleniffime ſuf-  
fragari, & ab illis reſpectively inſolabiliter obſer-  
vari; Sicque in præmiſſis per quòſcumque Judi-  
ces ordinarios & delegatos, etiam Cauſarum Pa-  
latii Apoſtolici Auditores, judicari & definiri de-  
bere; ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a  
quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoran-  
ter contigerit attentari.

ſ. 4. Non obſtantibus Conſtitutionibus & Or-  
dinationibus Apoſtolicis; ac, quatenus opus ſit,  
dicti Ordinis, aliſve quibuſvis, etiam juramen-  
to, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firme-  
tate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus,  
privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſto-  
licis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet  
conceſſis, confirmatis, & innovatis; Quibus  
omnibus & ſingulis, illorum tenores præſenti-  
bus pro plene & ſufficienter expreſſis, ac ad ver-  
bum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore  
permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice  
dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæ-  
terisque contrariis quibuſcumque.

Fides Tran-  
ſumptorum.

ſ. 5. Volumus autem, ut earundem præſen-  
tium literarum tranſumptis ſeu exemplis, etiam  
impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcri-  
ptis, & ſigillo Perſonæ in eccleſiaſtica Dignita-  
te conſtitutæ munitis, eadem proſus fides ubi-  
que habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur,  
ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub  
Annulo Piſcatoris die 26. Januarii 1734. Ponti-  
ficatus Noſtri Anno Quarto.

F. Card. Oliverius,

CXXXVI.

Conſtitutio, qua pro indemnitate Communita-  
tum & Populorum totius Status temporalis  
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, facultates, per Sum-  
mos Pontifices Congregationi Boni Regiminiſ  
contra debitores olim collatæ, confirmantur,  
noviſque etiam argentur.

Dat. die 12.  
Febr. 1734.  
Pont. An. IV.

CLEMENS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei  
memoriam.*

Proœmium.

Divina providentia in Beati Petri Sede col-  
locati, noſtra referre putamus, ſi non ſo-  
lum Chriſtianæ Religionis curam gerere, ve-  
rùm etiam erga Provincias populòſque univer-  
ſos, ejuſdem Principis Apoſtolorum regimini  
commendatos, Urbiumque & Oppidorum pu-  
blica commoda recte adminiſtranda, præci-  
puam diligentiam adhibeamus, accurate pro-  
ſpicientes, ne ſolicitudo noſtræ ſubjecti ob-  
cuſus indebitam veſtigialium, publicorumque  
onerum ſolutionis detractionem ac difficul-  
tatem, nimis graventur. Quare quæ, a Roma-  
niſ Pontificibus Anteceſſoribus noſtris ad eum  
finem præſcripta ſunt, Apoſtolica auctoritate  
probanda, & alia etiam faciendâ ducimus, quo-  
tieſcumque id expedire comperimus.

ſ. 1. Itaque, ſicut accepimus, cum aliàs  
felicitis recordationis Clemens Papa VIII. Præde-  
ceſſor noſter pro bono regimine rectaque ad-  
miniſtratione bonorum, & redituum commu-  
nium cujuſcumque Civitatis, Terræ, Oppidi,  
& Loci temporalis totius Sanctæ Romanæ Ec-  
cleſiæ ditioſis, præcipuum Conſtitutionem An-  
no Domini MDXCII. ediderit, ubi inter alia  
præcipitur, ut omnes Communitatum ſive  
Univerſitatum dicti Status Eccleſiaſtici debito-  
res ſuum debitum per earundem Communi-  
tatum ſive Univerſitatum Legatos, Vice-Lega-  
tos, Gubernatores, Præſides, aut Poſtula-  
tes, omnibus opportunitis juris & facti reme-  
diis quamprimum omnino ſolvere compellan-  
tur; Conſtitutionis vero prædictæ, tenor eſt,  
qui ſequitur:

CLEMENS EPISCOPUS

*Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei  
memoriam.*

Pro commiſſa nobis a Domino Sanctæ Roma-  
næ Eccleſiæ, eique etiam in temporalibus  
ſubjectarum Civitatum & Populorum tutela,  
paternaque erga noſtros ſubditos caritate, præ-  
cipuo ſtudio tenemur providere, ut ad eos  
pertinentia bona, ea, qua decet fide & cura  
utiliter & provide adminiſtrantur, præſertim  
verò tollantur pravi abuſus, qui in publicum  
& commune dâmnam paulatim irrepunt: ex  
quibus hætenus gravi ære alieno communia il-  
lorum bona oppreſſa, vel ab ipſo Noſtri Pon-  
tificatus initio comperimus: & malum hoc, ni-  
ſi celeriter opportuna remedia adhibeantur,  
quotidie in deterius prolabi videmus; Dum  
enim non pauci ſua privata commoda & lu-  
cra quarunt, atque illicitis modis, quod præ-  
ve ambiunt aut concupiſcunt, conſequi affe-  
ctant, potentiorum aut vulgi gratiam vanis af-  
ſentationibus aucupantur, ſuas denique cupidi-  
tates explere fatagunt, nulla utilitatis publicæ  
ratione habita, ærarium publicum iſarum ci-  
vitatum & locorum exhauriunt, gravi ære alie-  
no implicunt, inanibus pompis & oſtentationi-  
bus dilapidant: quibus malis acque incom-  
modis, quantum noſtra vigilantia atque auctori-  
tate eniti poſſumus, occurrere cupientes, hac  
noſtra perpetuo valitura Conſtitutione ſtatu-  
mus & ordinamus, ut in qualibet Civitate,  
Terra, Oppido, Caſtro, & Loco dicti Status  
temporalis Eccleſiaſtici univerſi, itaut etiam Bo-  
nonienſis & Beneventanæ noſtræ Civitates ſub  
hac Conſtitutione ſint comprehenſæ, Tabella  
aut Libellus quotannis initio anni conſcribatur,  
in quo ſumptus omnes ordinarii & extraordina-  
rii, publicæ, utiles aut neceſſarii, ſint deſcri-  
pti; & earum quidem, quæ certæ & ordinariæ  
ſunt expenſarum, certa etiam taxa & ſumma ex-  
primatur; Si quæ vero incertæ & extraordina-  
riæ videbuntur, earum univerſe ſumma aliqua  
annua taxetur, quam toto anni curriculo exce-  
dere nequaquam liceat; ſigillatim vero pro rei  
indigentia ex univerſa ſumma ſic taxata a toto  
Conſilio cum interventu Præſidis, Gubernato-  
ris, aut Poſtulaſtis, portiones neceſſariæ infra  
annum detrahantur, eaque Tabella aut Libel-  
lus per Gubernatorem ſeu Præſidem Provinciæ  
aut Civitatis, & cujuſcumque Terræ, Oppidi &  
Caſtri Præterem ſeu Poſteſtatem, ſingulis annis fiat.  
Hæc vero prima vice non ſolum ab ipſis, ſed  
etiam poſt eos triginta dies, tunc proxime ſequen-  
tes, a dilectis filiis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Came-  
rario & Theſaurario Generali Camera Apoſtolice,  
accurate & diligenter inſpiciatur, corrigatur, & ap-  
probetur, expunctis inde iis omnibus impenſis,  
quæ præter aut contra hanc noſtram Conſtitu-  
tionem,

Tenor Con-  
ſtitutionis  
Clementis  
VIII.



tionem, etiam ex statuto vel consuetudine antiqua fieri solebant, ac retento ipsius Tabellæ seu Libelli exemplo seu registro penes Cameram Apostolicam, gratis & absque ulla eorundem Communicatum seu Universitatum dispendio, statim intra decem dies ab ipsius receptionis die numerandos, sic revisa, approbata & correctâ, ad prædictas Communitates seu Universitates remittatur.

Districte autem inhibemus sub indignationis nostræ & aliis gravissimis, nostro & successorum nostrorum arbitrio imponendis, pœnis, ne pro sigillo vel pro scriptura, charta, atramento, cera, capsula, cordulis, aliisque rebus, ad hujusmodi expeditionem pertinentibus, seu pro labore aut regalibus, quidpiam, ne minimum quidem obolum, hac de causa prædicti Camerarius aut Thesaurarius, eorumve Notarii, Tabelliones, Secretarii, Familiares, aut quilibet Officialis vel Minister, exigere, vel etiam sponte oblatum recipere præsumat. Quinimo volumus, ut sine ulla mora omnia gratis, &, prout in Penitentiaria Apostolica fieri solet, sine aliqua solutione expediantur & mittantur. Atque in hoc Camerarius & Thesaurarius prædicti summo studio invigilent: & si aliquem ex suis vel aliis Notariis, Tabellionibus, Secretariis, Familiaribus, Officialibus, aut Ministris vel minimum quicumque recepisse deprehenderit aut cognoverint, contra eos etiam ad privationis officiorum & munerum, quæ obtinent, inhabilitatisque ad illa vel alia in posterum obtinenda, exilii perpetui ab Urbe & ejus Districtu, & aliis gravioribus pœnis procedant; scituri, si connivendo aut tolerando aut aliâs quomodolibet receptionem & exactiorem hujusmodi per se vel alios conscii aut participes fuerint, se quoque Nostrum & Successorum nostrorum iudicium in hac re severum, ut præfertur, subituros.

Verum eadem Tabellæ seu Libellus, ejusve exemplum, sic correctum, approbatum & intra decem dies remissum, nedam in ipsarum Communitatum seu Universitatum Archivo aservetur, sed in publico aliquo, omnibus patenti ac conspicuo, loco pro foribus Aulae, ubi habetur publicum Consilium, vel ubi jus dicitur, & frequens Populi sit concursus, affigatur, & perpetuo retineatur.

Nec liceat in futurum, nisi de expressa Camera Apostolicæ, aut, si urgens necessitas moram non pariat, Gubernatoris, aut Præsidis Civitatum & Locorum, qui statim postea Camerarium & Thesaurarium Generalem prædictos certiores de eo reddere teneantur, licentia, cum interventu Procuratoris Fiscalis ejusdem loci, causâ cognita, etiam similiter gratis concedenda, Tabellæ ipsius seu Libelli tenorem, etiam sequentibus annis, immutare aut alterare; neque absque prædictâ licentia, etiam in casibus improvisis inopinatis aut insolitis, aliquid ultra contenta in hujusmodi Tabellæ aut Libello erogare. Quicquid vero ultra præscriptas summas erogatum fuerit, id volumus, ut ab eis, quibus exigendi & solidandi computa & rationes expensæ, sive illas, ut dicitur, syndicandi cura incumbit, nequaquam ratum habeatur; neque ipsis communibus aerariis dictorum locorum, aut massis, sed personis singularibus, quæ sumptus ipsos fecerint, expensum feratur: quæ etiam ad illius, tamquam ab eis indebite ablati, restitutionem teneantur.

Id autem quò accuratius servetur, & earundem Civitatum, Terrarum, ac Populorum utilitati amplius consulatur, præcipimus, ut quilibet modernus, aut pro tempore existens Gubernator, Præses, aut Potestas, tam ex nunc seu in ipso primo ingressu, quam deinde statim

finito tempore Magistratus, per quoscumque Priores Massarios, Camerarios aut Officiales gestis, intra decem dies ab ipsis Prioribus Massariis, Camerariis seu Officialibus, qui Magistratu funguntur aut fungi desinunt respectively, plenariam informationem rerum ad publicum regimen & administrationem communium bonorum pertinentium, præcipue vero indicem & nomina singulorum debitorum cujuscumque Communitatis seu Universitatis, tam ex supradictis quam ex aliis quibuscumque causis, accurate & sigillatim descripta sibi tradi, eaque postmodum cum primùm solutionis dies advenerit: aut si jam advenerit, intra tres aut ad summum quatuor menses, per Officiales & Magistratus eorundem Communitatum seu Universitatum exigere, & in aerarium Communitatis seu Universitatis referri.

Et si quid in fine anni post deductas expensas, in Tabellæ seu Libello descriptas, supererit, id in extinctionem æris alieni publice contracti: aut si æs alienum nullum sit, vel in Annonam sublevandam, vel pro Monte Pietatis, vel in recuperationem & redemptionem bonorum & rerum seu jurium, per ipsas Communitates sive Universitates alienatorum, vel denique in aliorum immobilium bonorum emptionem, cum interventu tamen Gubernatoris seu Potestatis, & Procuratoris Fiscalis loci, converti curet. Quod si prædictas pecunias in Monte Pietatis deponi contigerit, id ea conditione fiat, ut illas postea quandocumque eadem Communitates & Universitates inde extrahere, ac si eis videbitur, in usus per hanc Constitutionem permisos, erogare valeant.

Fisci vero cujuslibet loci Procurator petat omnino coram Syndicis, & Gubernatore seu Præsidente aut Potestate intra decem dies ab iis, qui Magistratu perfuncti sunt, tam de administratione juxta taxam in Tabellæ seu Libello præscriptam, quam de aliis supradictis, præsertim nominibus debitorum inexactis, rationes reddi. Et si quid vel in expensis excessum, vel circa exactiorem neglectum, aut per negligentiam ultra tempus prædictum dilatum fuerit, contra eosdem reos, Magistratu, ut præfertur, perfunctos, ad restitutionem debitarum expensarum, necnon ad solutionem de suo proprio, debitorum, per negligentiam inexactorum, ac ulterius etiam ad pœnarum, in hac Constitutione contentarum, executionem procedi, quarum pars quarta ipsi Procuratori Fiscalis sit applicata.

Si vero post hujusmodi decem dies elapsos Gubernator aut Potestas in exigendis rationibus, vel in cogendo ad solvendum vel restitutionem, aut in exequendis pœnis, sive aliâs in præmissis negligens fuerit, ad restitutionem & refectionem damni, ex indebitis impensis vel retardata exactiione, communi aerario cujuslibet loci illati, etiam de suo proprio integre teneatur. Procurator autem Fiscalis ejus Terræ, Oppidi, aut Civitatis, generalem Camera Apostolicæ Procuratorem Fiscalem de hujusmodi negligentia certiores faciat, sive etiam cuilibet de Populo id denunciare liceat: ac tam in syndicato, per eos, ad quos spectat, quam postea per Procuratorem Fiscalem Generalem Camera Apostolicæ contra ipsos Gubernatores & Potestates, sive etiam contra personas, quæ pro ipsis in syndicato fidejusserint, procedatur, itaut tam ab eis quam ab ipsis reis principalibus illatum damnum, inexacta debita, indebitæque expensæ, & quæ in hac Constitutione continentur, multæ, cum simili lucro personis prædictis applicando, exigantur. Ac propterea tam ipsi Gubernatores, Præsides, Potestates, quam Procuratores Fiscales, in præmissis culpabiles, officii per eos obtenti eo ipso privati, & ad illa atque alia similia de cætero obtinenda perpetuo inhabiles & incapaces sint & censeantur.



Prædicti vero Governatores & Potestates, eorumque Cancellarii, Secretarii, Tabelliones aut Ministri vel Familiæ, nihil omnino, ne minimum quidem, occasione Syndicatus hujusmodi, vel pro sententia ferenda, aut pro Tabella seu Libello conficiendo, revidendo, vel licentia, ut præfertur, concedenda, subscribenda, vel taxa faciendâ, emolumentum aut regalium, neque etiam pro mercede aut labore, sive aliâ, ut præfertur, percipiant: & si quid perceperint, etiam tamquam hujus Constitutionis violatores in pœnas, quæ in ea sunt descriptæ, ipso factò incurrant.

Cæterum omnibus & singulis Communitatibus, Universitatibus, & Populis quarumcumque Provinciarum, Civitatum, Terrarum, Oppidorum, Castrorum, & Locorum Status nostri temporales Ecclesiastici, earumque Senatui, Consiliis, Adunantiis, & Congregationibus, Magistratibus & Administratoribus, eorumque singularibus personis, districtè interdicitur & prohibemus, ne quis eorum vel earum sub quovis prætextu aut causâ, etiam urgenti & necessaria, contra Constitutionem fel. record. Sixti Papæ V. Prædecessoris Nostri, quæ incipit: *Inter varias & multiplices*, quam Nos harum serie approbamus, innovamus & ampliamus, bona aut jura sua vendat, alienet, hypothecet, aut census super illis imponat, aut pro se, præterquam ex causâ locationis tantùm ad modicum tempus, & solutionibus non anticipatis, non autem titulo conductiois, nec ullo modo pro aliis obliget, sive ære alieno se obstringat.

Neque Legatos seu Oratores ad Nos & Sedem Apostolicam sumptibus publicis aut etiam privatis & propriis ipsorum Legatorum, neque etiam ipsi sponte id munus suscipere & de suo proprio impensas subire velint, unquam mittant, neve sub nomine Agentis, aut negotiorum Gestoris vel Procuratoris, aliâs, quàm ad necessariam litium prosecutionem in Romana Curia, pariter expensis communibus aut privatis, retinere aut mittere; neve quisquam id munus suscipere aut obire audeat, nisi habita prius quoad obligationes & alienationes licentia, juxta prædictâ Sixti Prædecessoris Constitutionis tenorem: Quo vero ad mittendos Legatos seu Oratores, a nobis, vel pro tempore existente Romano Pontifice, vel ab eo, qui consultationibus negotiorum Status Ecclesiastici pro tempore præerit, dumtaxat in scriptis obtenta, sine qua quisquis id munus suscipere ausus fuerit, præter alias per Sixtum Prædecessorem inflictas pœnas, etiam officiis per eum obtentis eo ipso privatus, & ad illa & alia quæcumque obtinenda perpetuo inhabilis & incapax, necnon infamis, & ignominia atque infamia notatus censetur.

Ad hæc prohibemus pariter, ne prædictæ Communitates, Universitates, earumve Collegia, Senatus, Adunantiæ, Congregationes, Magistratus, Officiales, aut singulares personæ, ullo modo præsumant ex fructibus, redditibus, & proventus, collectis, vel contributionibus certis vel incertis, ordinariis seu extraordinariis sui ærarii seu massæ communis, sive ex pecuniis etiam privatis & particularibus singulorum civium per viam voluntariæ collectæ, seu contributionis, in commune congestis, etiam cujusvis statuti seu consuetudinis, aut verius corruptelæ prætextu ex quavis causâ, etiam solita & rationabili, munera aut dona quæcumque cuivis Legato, Vicelegato, Governatori, Protectori, Viceprotectori, Præsidi, Officiali, aut personæ, etiam quavis tam Ecclesiastica, etiam Pontificali, aut alia majori, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalatus, quàm mundana dignitate fulgenti, seu illius Con-

stris mittere, tradere aut largiri, aut in aliqujus etiam Legati, Vicelegati, Governatoris, Præsidis, Benefactoris, aut Protectoris honorem, etiam occasione hospitii aut transitus vel primi ingressus, aut ad beneficiorum acceptorum memoriam gratique animi testificationem, pro construendis, ornandis, aut erigendis perpetuo vel ad tempus Portis, Arcubus, Trophæis, Porticibus, mœnibus, aut aliis monumentis; seu pro prædictis personis, quavis dignitate vel auctoritate fungentibus, honorifice lautè & opipare excipiendis; seu pro quibusvis conviviis aut hospitiiis etiam moderatis, eisdem aut cuivis alteri quacumque occasione vel causâ exhibendis; aut pro personis, quæ illos comitentur, aut illis ministrant vel obviam procedant, pretiosis vestibus induendis, ulla pecunia erogare.

Vel pro congiariis, missilibus, aut muneribus publicis; seu etiam cibariis, esculentis & poculentis, epulis, comestationibus aut comotationibus, Populo aut Magistratibus vel Officialibus ultra eorum salaria & emolumenta, de jure vel ex laudabili consuetudine debita, largiendis; seu pro prædictis pueris vel adolescentibus studiorum causâ alimentis; vel dotibus puellarum non egentium augendis; aut pro exhibendis spectaculis, etiam piis & intra Ecclesias vel extra eas in quibusvis publicis aut privatis, sacris aut prophanis locis, etiam ubi Sanctorum Sanctorumve vita aut res pie gestæ, populis spectandæ proponuntur; sive etiam piorum operum & caritatis seu elemosynæ prætextu, aut aliâs in prædictis seu aliis rebus supervacaneis, in dicto Libello seu Tabella non contentis; sed ad pompam & ostentationem aut oblectationem, vel paucorum lucrum & privata commoda, quomodolibet pertinentibus, sumptus aut impensas aliquas facere, nisi re ipsa pro divino cultu, & veris Christi pauperum indigentis, de consilio & consensu loci Ordinarii sublevandis: aut pro iis tantum piis ludis publicis, qui ex inventato usu permittuntur, & in prædictâ Tabella seu Libello exprimentur, taxam a Governatore seu Præside aut Potestate ipsius Provinciæ, Civitatis, aut loci, cui subfunt, præfigendam, quæ in supradicto Libello seu Tabella comprehensa erit, non excedentibus, sumptus hujusmodi fiant.

Prohibemus insuper, ne quicumque Cives, Oppidani, aut Incolæ, qui suæ Communitatis aut Universitatis bonorum detentores, usurpatores, occupatores fuerint, quive contra ipsas Communitates litem aliquam seu controversiam habuerint, quæ ad hunc effectum per solam unicam citationem cepta & inchoata censetur, eadem lite seu controversia durante, necnon qui ejusdem suæ Communitatis sive Universitatis debitores ex quacumque causâ extiterint, earumve bona aut pecunias administraverint, antequam id, quod debent, integre persolverint, seu rationes administrationis reddiderint, cum ejus residui, in quo debitores remanserint, reali restitutione, ad obtinendos, gerendos aut exercendos aliquos in ea Civitate, Provinciâ, Oppido, Terra, Castro, aut Loco, Magistratus aut munera quæcumque, vel officia publica, ullo modo eligantur vel admittantur; Et si de facto electi admissive fuerint, electio & admissio irrita sit & nulla; & tam ipsi quam eligentes sive admittentes, necnon Governatores, Præsides & Potestates, qui id permiserint, vel etiam exactam super his inquirendis & prohibendis diligentiam, prout eos teneri volumus & discernimus, non adhibuerint, pœnis, in hac Constitutione contra illius transgressores inflictis, pleantur.



Porro locationes seu affectus tam vectigalium, quæ Gabellæ aut dacia dicuntur, quam aliorum quorumcumque redituum, proventuum, jurium & emolumentorum, ad commune ipsarum Civitatum & locorum ærarium quomodolibet spectantium, statuimus & jubemus, omnino servatis servandis, atque adhibitis solemnitatibus, quæ de jure, aut cujuslibet Loci statuto vel consuetudine requiruntur, cum personis fide & facultatibus idoneis, quæ idoneas pariter in publico Consilio approbatas cautiones præstent, iniiri & contrahi debere: in quibus sane locationibus seu affectibus ea semper conditio & pactio addatur, ut ipsæ Communitates sive Universitates ab omni prorsus detractione seu remissione, &, ut vulgo dicitur, defalcatione ex quocumque ac inopinato & insolitissimo belli incursum, militum depopulationis, agrorum direptionis aut siccitatis, alluvionis, grandinis, tempestatis, incendii, aut alio quovis maxime fortuito casu, atque ex quovis capite, ac etiam legitima & urgenti amissionis aut diminutionis fructuum, etiam omni vel majoris partis, aut sterilitatis, vel alia quavis causa cogitata vel excogitata, cogitabili vel incogitabili, sint prorsus immunes; nec ad id cogi possint, etiamsi de jure tenerentur, sed integræ semper responsiones & præstationes seu pensiones annuæ absque ulla diminutione per ipsos conductores eis solvi debeant; & quamvis pactum hujusmodi forsan in contractibus omisum fuerit, nihilominus vigore præsentium literarum tacite inesse & subintelligi debere, perinde ac si id ipsum inter contrahentes expresse cautum & conventum fuisset, sublata omnibus Judicibus, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, ac Sacri Palatii Apostolici Auditoribus, aliter judicandi & interpretandi facultate.

Depositarios quoque pecuniarum, & introituum communis ærarii cujuslibet Communitatis sive Universitatis non aliter eligi, deputari aut admitti volumus, nisi priusquam ad munus assumant, idoneam, arbitrio Governoris, Præfidis aut Potestatis, cautionem præstent; alioquin tam ipsas locationes, affectus, seu appaltus, quam Depositariorum deputationes sive electiones aut admissiones cum omnibus inde secutis, etiam obligatione in forma Cameræ Apostolicæ juramento aut instrumento publico vallatas, irritas & nullas cenferi. Et nihilominus Magistratus seu Officiales, qui contractus ipsos inveniunt, Depositarios admiserint, vel in publico Consilio assensum dederint, unâ cum cæteris consentientibus, pariter pœnis, in hac Constitutione expressis, teneri decernimus & declaramus.

Præterea Auctoritate Apostolica tenore eorundem præsentium, revocamus, irritamus & annullamus omnes & quascumque exemptiones, immunitates, remissiones, condonationes jurium, atque onerum realium & personalium, aut mixtorum, Cameræ Apostolicæ, seu eorum communi ærario debitorum: aut vectigalium, gabellarum, dationum, portoriorum, dohanarum, collectarum, subsidiorum, contributionum, cuivis particulari personæ pro rata illos quomodolibet tangenti, sive præfidiis, aut bonis, per eas possessis, per quascumque Communitates seu Universitates ex quavis causa, etiam legitima & de jure debita seu permessa, qualis est ob numerum duodecim Filiorum, & quacumque occasione, etiam sub prætextu tituli onerosi, & contractus ultro citroque obligatorii, etiam publico consilio, & communi omnium consensu, perpetuo vel ad tempus concessas, etiamsi id sine ullo Cameræ Apostolicæ damno aut præjudicio factum fuerit, ratamque ipsam eadem Communitates & Universitates in se susceperint.

Districte inhiibentes, ne quid tale imposturum concedere aut attentare præsumant, ac revocantes ex nunc in irritum quicquid circa omnia & singula præmissa præter aut contra hæc nostra interdicta, prohibitiones, statuta, ordinationes, jussa, voluntates, decreta, mandata, aut præcepta, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Quod si quis conjunctim cum cæteris, seu divisim, nostrarum hujusmodi prohibitionum, statutorum, ordinationum, jussionum, decretorum, mandatorum, voluntatum, aut præceptorum violator seu transgressor extiterit, statuimus, ut, præter superius expressam restitutionem aut solutionem seu damni refectionem, si, qui præminentia aut gradu aliquo cæteris Superiores fuerint, nisi pro viribus id, quod contra hanc Constitutionem attentatum gestumve est, impedire tentaverint, suumque assensum omnino constanter denegaverint, omnibus & singulis per eos obtentis dignitatibus, gradibus, muneribus, officiis & magistratibus eo ipso privati; ac tam ipsi quam alii inferiores, qui id suaferint, procuraverint, aut ipsimet fecerint, vel ab aliis fieri jusserint, ad illa & alia similia vel dissimilia in futurum obtinenda inhabiles perpetuo & incapaces, ac perpetua infamia & ignominia notati, & singuli eorum, si solvendo fuerint, ultra prædictam restitutionem, ad duplum ejus damni, quod communi massæ seu mensæ illatum fuerit, de suo reficiendum obligati existant; si minus, pœna exilii aut carceris saltem triennalis plectantur; Alii vero, qui solummodo consensum tacite vel expresse præstiterint, si solvendo fuerint, tantundem pecuniarum, quantum erogatum extiterit, de suo persolvant; si autem id propter inopiam præstare nequiverint, pœna aliqua corporis afflictiva Superiorum arbitrio puniantur; & ejusmodi multarum quarta pars inter eos dividatur, qui, quantum in eis fuerit, contradixerint seque opposuerint, vel post consensum præstitum, erroris pœnitentes, superioribus id primi denunciaverint.

Sed & Constitutiones piæ memor. Bonifacii VIII. & Gregorii XIII. Romanorum Pontificum prædecessorum Nostrarum, contra pacificos, promittentes, dantes, aut recipientes quicquam, parum vel magnum, pro gratia vel justitia, pro se vel aliis obtinenda: & contra complices, vel dantes in præmissis auxilium, consilium, vel favorem cum omnibus, in eis contentis, pœnis, censuris, & extensionibus, quæ supradictis aggravatæ & additæ, non autem per eas imminutæ aut immutatæ censeantur, harum serie approbamus & innovamus, ac ad omnes superius expressas personas, etiam speciali nota dignas, quæ contra ultimò dictas Constitutiones in quibusvis casibus, per eas expressis, dando, recipiendo, promittendo, paciscendo, consentiendo, aut permittendo, non solum apud Sedem Apostolicam, sed in quibusvis Tribunalibus, & eorum quibuscumque Judicibus, etiam Laicis, Almæ Urbis, ac tam in Romana Curia quam extra eam, in quibuslibet temporalis ditioni nostræ mediate vel immediate subiectis Provinciis, Civitatibus, Oppidis, Terris, & locis deliquerint, per easdem præsentibus extendimus & ampliamus: pœnis aliis, a jure vel per alias Constitutiones Apostolicas, aut propria locorum statuta vel consuetudines, contra personas, aliquid præmissorum committentes vel omittentes forsan decretis vel inflicis, nihilominus in suo robore permanfuris.

Quo circa universis & singulis modernis & pro tempore existentibus ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerario, Thesaurario generali, necnon Legatis, Vicelegatis, Præfidiis, Guber-



natoribus, Potestatibus, ac Prioribus, Massariis, Magistratibus, & Officialibus, cæterisque, ad quos spectat, per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi & eorum singuli, quantum ad eos pertinet, curent omni studio, diligentia, auctoritate, & vigilantia; præsentem Constitutionem firmiter & inviolabiliter observari, & contra inobedientes vel transgressores condignis pœnis animadverti.

Præcipue vero ipsi Legati, Vicelegati, Præfides, Governatores, & Potestates contra quoscumque Communitatum sive Universitatum debitores pro exactiōe integræ summæ & quantitatis, quæ earum communibus arariis debetur, & pro tempore debetur, summarie, simpliciter & de plano, sola facti veritate inspecta, sine strepitu & figura iudicii, manu regia in vim præsentis Constitutionis, etiam quavis inhibitione tam a prædicto Camerario, seu causarum Camera Apostolicæ generali Auditore, quam a quocumque alio Iudice ordinario vel delegato, quavis auctoritate fungente, etiam forsitan in vim specialis commissionis, decreto non obstante, juris & facti remediis opportunis procedant, & omni & quacumque appellatione remota, exequantur eisdem inobedientes, necnon contradictores quoslibet & rebelles per opportuna juris & facti remedia, appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, dictarumque Provinciarum, Civitatum, Terrarum, Oppidorum, & Castrorum, juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, quorumcumque tenorem existant, per quæ, præsentibus non expressa, vel ad verbum non inserta, effectus præsentis nostræ Constitutionis impediri quomodolibet valeat vel differri. Quæ omnia, quatenus præmissis in aliquo adversentur, prorsus tollimus & abrogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut præsentis literæ in valvis Sancti Joannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de Urbe Basilicarum, & in acie Campi Floræ publicentur, affixis inibi earum exemplis & dimissis.

Utque earum exempla, seu illorum compendia latino aut vulgari sermone conscripta, in libris quorumcumque Statutorum prædictarum Communitatum & Universitatum inserantur, & saltem bis quotannis in publicis & majoribus Consiliis sive Adunantiis cujuscumque Communitatis sive Universitatis alta & intelligibili voce legantur, atque in publico etiam aliquo, & omnibus patenti, loco, ubi frequenter Cives aut Oppidani convenire soleant, perpetuo affixum retineatur, adeo ut si contingat, exempla hujusmodi inde amoveri aut lacerari, seu temporis diuturnitate consumi, debeant omnino Priores, Massarii, Cancellarii, sive alii earundem Communitatum sive Universitatum Officiales, sub privationis Officiorum obtentorum, & inhabilitatis ad illa vel alia postmodum obtinenda, & aliis etiam gravioribus corporis afflictivis pœnis, ipso facto incurrendis, curare, ut statim eadem exempla renoveantur, & denuo affigantur; & si id commode fieri poterit, in marmoreo aliquo lapide ad perpetuam memoriam insculpentur.

Demum a singulis Legatis, Vice-Legatis, Præfides, Gubernatoribus, Potestatibus, necnon Communitatum seu Universitatum Prioribus, Massariis, Cancellariis, aut quocumque nomine nuncupatis Officialibus, initio Magistratus, antequam ad illum exercendum admittan-

tur, super earundem præsentium literarum observatione jusjurandum solemne publicè præstentur.

Et nihilominus post triginta dies a die publicationis, ut præfertur, in Romana Curia faciendæ, unumquemque, perinde ac si afficiant, ac si cuique personaliter intimatæ, & per eos juratæ fuissent.

Earum quoque transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ obfignatis, eadem prorsus fides in iudicio & extra illud adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo &c.

Datum Romæ in Monte Quirinali anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo nonagesimo secundo, decimo octavo Kalen. Septembris, Pontificatus Nostri anno primo.

§. 2. Deinde idem Clemens prædecessor, quoniam ex ipsis debitoribus multi non teneri, nec debita ipsa liquida esse prætendebant, & a mandatis seu sententiis, per prædictos Iudices relaxatis seu pronuntiatis, ad dictum Clementem prædecessorem & Sedem prædictam appellantes, seu de nullitate dicentes, executionem tandiū suspendi, donec de iustitia appellationum cognitum fuisset, petebant: Alii, quod sua debita tergiversatione aliqua negare non poterant, executionem saltem variis artibus eludere satagebant, ac ne bona sua hæc subijci viderent, diversa impedimenta excogitabant, propterea idem Clemens prædecessor, eorum quidem, quibus minus iustæ molestiæ inferebantur, indemnitati consulere, ac iis contra, qui sub prætextu frivole appellationis, aut aliâs, quomodolibet debitas solutiones retardare conabantur, omnem fraudis viam præcludere volens, tunc nonnullis ex S. R. E. Cardinalibus, privative quoad omnes & quoscumque alios Iudices, omnes & quascumque causas, etiam super validitatibus quarumcumque extensionum vel immunitatum, quibusvis personis quomodolibet concessarum, ad instantiam quarumcumque personarum cujuscumque status aut dignitatis, etiam Cardinalatus honore fulgentium, etiamsi Universitates, Societates, Congregationes, Collegia, utriusque sexus Monasteria, Hospitalia, Ecclesiæ, aut loca pia, quocumque privilegio immunitate vel exemptione sussulta, existissent: sive etiam viceversa ad ipsarum Communitatum seu Universitatum instantiam contra prædictos vel alios quoscumque, aut inter ipsas Communitates invicem quomodolibet motas seu movendas, summarie & manu regia, ac aliâs audiendi, cognoscendi, & sine debito terminandi, & tam prædictis quam quibusvis aliis Iudicibus & personis, quatenus opus fuisset, sub censuris & pœnis eorumdem Cardinalium, ut infra deputatorum, arbitrio infligendis, moderandis & applicandis, inhibendi, sive inhibitiones quascumque, etiam vigore quarumcumque commissionum Apostolicarum, non tamen manu dicti Clementis prædecessoris subscriptarum, moderandi aut revocandi: & prout iustum videretur, mandata quacumque necessaria & opportuna decernendi, relaxandi, ac omni & quacumque appellatione, reclamatione & recurso omnino posthabitis, exequendi, plenam & liberam facultatem & potestatem sua auctoritate concesserit & impertitus fuerit, ac aliâs, prout in aliis literis Apostolicis in forma Brevis sub Annulo Piscatoris expeditis, plenus & uberius continetur: quarum tenor est, qui sequitur.

Idem Papa debitorum tergiversationibus consultem concedens nonnullis S. R. E. Cardinalibus quascumque hujus generis causas manu definiendi, et terminandi.



## CLEMENS PAPA VIII.

*Dilectis filiis Nostri Antonio Mariae S. Mariae de Pace, Salvato, ac Mariano Sanctorum Marcellini & Petri Tituli Presbyteris, de Camerino, & Alexandro Sancti Laurentii in Damaso Diacono, Cardinalibus, Montalto, nuncupatis.*

Tenor Litterarum quibus d. con. ceditur facultas.

Cum per Constitutionem, nuper a Nobis editam super bono regimine & administratione reddituum Communitatum & Universitatum ditionis temporalis Ecclesiasticae universae, inter alia praeeperimus, ut cuncti earum debitores ad solvendum id, quod debent, per earum Legatos, Vicelegatos, Gubernatores, Praesides, aut Potestates, omnibus opportunis juris & facti remediis quamprimum omnino compellantur; multi autem ex ipsis debitoribus praetendant, se non teneri, nec debita ipsa liquida esse, & a mandatis seu sententiis, per praedictos Judices relaxatis, ad Nos & Sedem Apostolicam appellantes, seu de nullitate dicentes, petant, executionem hujusmodi tamdiu suspendi, donec de iustitia appellationum cognoscatur: aliis cum id, quod debent, tergiversatione aliqua nequeant denegare, executionem saltem variis artibus eludere satagant; & ne bona sua haec subijci videant, diversa impedimenta excogitent; proinde Nos volentes eorum quidem, quibus minus iuste molestiae inferuntur, indemnitati consulere: iis contra, qui sub praetextu frivolae appellationis aut alias quoquomodo, debitas solutiones retardare conantur, omnem fraudis viam pracludere.

Circumspectioni vestrae, aut duobus saltem ex vobis conjunctim procedentibus, privative quoad omnes & quoscumque alios Judices ordinarios vel delegatos, quavis dignitate & auctoritate fungentes, etiam Sanctae Romanae Ecclesiae Camerarium, Vicecamerarium, Thesaurarium Generalem, Cameram Apostolicam, ejusque causarum generalem Auditorem, aut Praesidentes Clericos, ac Palatii Apostolici Causarum Auditores, ac etiam Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, & Legatos, etiam de latere, tam in Romana Curia, quam extra eam jurisdictionem exercentes, omnes & quascumque causas appellationum, reclamationum, recursuum, nullitatum, seu notoriae injustitiae: necnon revisionis, etiam praetextu cuiusvis erroris, etiam calculi, aut reductionis ad arbitrium boni viri, ac restitutionis in integrum, tam super praemissis, quam super validitatibus & invaliditatibus quarumcumque exemptionum vel immunitatum, quibusvis personis per easdem Communitates seu Universitates, sive etiam auctoritate Apostolica, & per Nos seu Praedecessores Nostros concessarum, & an sint admittendae, nec ne: ac super praetensis remissionibus seu defalcationibus solutionum, eisdem Communitatibus debitarum ob quoscumque in dicta Constitutione expressos vel non expressos fortuitos casus, vel ex quacumque alia causa, casu, culpa, vel facto cuiuscumque personae, aut alias ad instantiam quarumcumque personarum, quae ipsis Communitatibus seu Universitatibus aliquid debent, vel debere praetenditur, aut quippiam ex praemissis petunt, tam Laicorum, quam Clericorum cuiuscumque status, gradus, ordinis, dignitatis, conditionis, vel praerogativae existentium, etiam Cardinalatus honore fulgentium, etiam si Universitates, Societates, Congregationes, Collegia, ac tam virorum quam mulierum Monasteria, Hospitalia, Ecclesiae, aut Loca pia quocumque privilegio, immunitate vel exemptione suffulta extiterint: sive etiam viceversa ad ipsarum Communitatum seu Universitatum instantiam con-

tra praedictos vel alios quoscumque, aut inter ipsasmet Communitates invicem, occasione cuiusvis laudi, arbitramenti, sententiae, decreti, aut mandati per praedictos Gubernatores, Potestates, aut Praesides, vel Legatos, aut quoscumque alios Judices, seu Commissarios, etiam ad id delegatos vel subdelegatos, aut arbitros vel arbitratores, in vim Constitutionis nostrae praedictae, seu alias quomodolibet lati aut relaxati, motas aut movendas cum illarum dependentiis, emergentibus, incidentibus, annexis & connexis, summarie, simpliciter & de plano, sine strepitu & figura iudicii, sola facti veritate inspecta, etiam terminis substantialibus non servatis, manu regia, audiendi, cognoscendi, & sine debito terminandi: ac superius expressis, & aliis quibusvis Iudiciis & personis, quoties opus fuerit, sub censuris & poenis arbitrio vestro infligendis, moderandis, & applicandis, inhibendi, sive inhibitiones quascumque ab eis editas, etiam vigore quarumcumque commissionum Apostolicarum, non tamen manu Nostra signatarum, moderandi aut revocandi: & prout iustum vobis videbitur, mandata quaecumque necessaria & opportuna decernendi, relaxandi, & omni & quacumque appellatione, reclamatione & recurso omnino posthabitis, exequendi, plenam & liberam facultatem & potestatem auctoritate Apostolica tenore praesentium concedimus & impartimur.

Praeterea, cum saepenumero contingat, debitas executiones mandatorum, in favorem earumdem Communitatum relaxatorum, ea specie eludi, quod non reperitur, qui bona debitorum, auctori subiecta, emere velit, eidem circumspectioni vestrae per praesentes committimus & mandamus, ut tam causis huiusmodi per vos cognitis, quam etiam non cognitis, eorum, contra quos de praedictorum Iudicum seu vestro mandato, occasione praedictae nostrae Constitutionis, executio aliqua facienda erit, bona vendi, auctori subijci, & si intra brevem terminum nemo, qui illa emat, repertus fuerit, consanguineos & affines proximiori gradu conjunctos ad illa emenda cogi, prout in bonis ex crimine & delicto confiscatis, & publicatis ad instantiam Procuratoris Fisci, fieri solet; caeteraque omnia in praemissis & circa ea necessaria & quomodolibet opportuna decernere, mandare, & exequi, etiam omni & quacumque appellatione, reclamatione & recurso penitus remotis, vel inhibitione superius expressorum vel aliorum quorumcumque, vel litis pendencia, non obstante, auctoritate nostra curetis; super quo etiam plenam eisdem Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, Praesidibus, & Potestatibus facultatem tribuatis.

Non obstantibus praemissis, ac etiam aliis omnibus, quae in Constitutione nostra praedicta volumus non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die trigesima Octobris, anni millesimi quingentesimi nonagesimi secundi, Pontificatus Nostri Anno Primo.

§. 3. Anno vero Domini millesimo sexcentesimo septimo pie memoriae Paulus Papa Quintus, etiam Praedecessor Noster, ad utilitatem earumdem Communitatum seu Universitatum Status Ecclesiastici praedicti sedulo incumbens, jurisdictionem praedictae Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Congregationis Boni Regiminis circa omnes & quascumque causas tam civiles quam criminales & mixtas, ad Communitates sive Universitates quascumque Status Ecclesiastici praedicti, Romano Pontifici mediate vel immediate subiectas, tam active quam passive pertinentes, per Cardinales ejusdem

Congregationis Boni Regiminis a Paulo PP. V. auctae facultates.



Congregationis. vel ab eis subdelegandos, audiendi, discutiendi, examinandi & terminandi, ac reassumendi, & avocandi, necnon quibusvis Judicibus, & aliis personis, etiam sub censuris & pœnis inhibendi, ac omnia alia & singula, in supradicta Constitutione contenta, executioni demandandi: necnon plura alia faciendi, gerendi, ordinandi, & exequendi, plenam, liberam & amplam auctoritatem, facultatem & potestatem per quasdam suas concesserit & impertitus fuerit; & mox per alias respective etiam sub Annulo Piscatoris in forma Brevis expeditas literas Apostolicas, intentionis suæ fuisset, eandem Congregationem Boni Regiminis causas solummodo ad Communitates seu Universitates prædictas earumque redditus & proventus, aut computorum & quorumcumque bonorum administrationis rationem quomodolibet spectantes (non tamen pœnarum maleficiorum) per se vel alios subdelegandos, audiendi, discutiendi, examinandi, expediendi, terminandi, reassumendi, & a quibusvis Judicibus, eis etiam inhibendo, avocandi facultatem a se, ut supra, concessam, habere declaraverit; Binarum autem dicti Pauli Prædecessoris literarum tenor pariter est, qui sequitur, videlicet:

## PAULUS PAPA QUINTUS

*Ad futuram rei memoriam.*

Binx ad id  
date a Paulo  
PP. Literæ.

Cupientes Constitutionem, a felic. record. Clemente Papa Octavo Prædecessore Nostro, super bono regimine & administratione reddituum Communitatum & Universitatum ditionis temporalis Ecclesiasticæ editam, debitæ executioni pro earumdem Communitatum & Universitatum utilitate demandari; ac de singulari fide, prudentia, & integritate dilectorum filiorum nostrorum, Mariani, Sanctorum Marcellini & Petri de Camerino: Octavii Sanctæ Sabinae, Bandini: Dominici Sancti Honuphrii, Tosci: Dominici Gymnasti: Innocentii Sancti Thomæ in Parione Titulorum, Presbyterorum, Bubali: & Bartholomæi Sanctæ Mariæ in Porticu Diaconi, de Cesis, nuncupatorum, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, plurimum in Domino confisi; eisdem Cardinalibus, quos pro executione dictæ Constitutionis harum serie deputamus.

Omnes & quascumque causas tam civiles quam criminales & mixtas, ad Communitates & Universitates quascumque Status nostri Ecclesiastici, Nobis mediate vel immediate subiectas, tam active quam passive pertinentes, per se vel ab eis subdelegandos audiendi, discutiendi, examinandi, expediendi & terminandi, ac omnia alia & singula, in eadem Constitutione contenta, executioni demandandi.

Ac pro faciliiori negotiorum huiusmodi expeditione aliquos Prælatos, aut alias personas, juris prudentia præditas, a Nobis approbandas, in suos Consultores adhibendi: necnon aliquem ex illis, aut alium idoneum eis beneficium, in suæ Congregationis Secretarium deputandi, & causas quascumque reassumendi & avocandi; necnon quibuscumque Judicibus & aliis personis, etiam sub censuris & pœnis, inhibendi, & quoscumque citandi, etiam per Edictum publicum confito de non tuto accessu, cæteraque omnia & singula in præmissis & circa ea quomodolibet necessaria & opportuna faciendi, gerendi, ordinandi & exequendi, itaut occasione causarum criminalium, censuram Ecclesiasticam, aut irregularitatis notam, dummodo sententias sanguinis per se ipsos non ferant, minime incurrant, plenam, liberam & amplam auctoritatem, facultatem & potestatem concedimus & impartimus.

Non obstantibus Constitutionibus, Ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis, quæ dictus Clemens prædecessor in eadem Constitutione voluit non obstat, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volimus etiam, ut ea, quæ a majori parte eorum resoluta fuerint, plenam obtineant firmitatem, & plenariæ executioni demandari debeant.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die quarta Junii millesimi sexcentissimi quinti, Pontificatus Nostri Anno primo.

## PAULUS PAPA QUINTUS

*Ad futuram rei memoriam.*

Jampridem cupientes Constitutionem, a felicis recordationis Clemente Papa Octavo Prædecessore Nostro, super bono regimine status Ecclesiæ editam, executioni demandari, dilectis filiis Nostri Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, pro ejusdem Constitutionis executione a Nobis deputatis, omnes & quascumque causas tam civiles quam criminales & mixtas, ad Communitates & Universitates quascumque Status Ecclesiastici, Nobis mediate vel immediate subiectas, tam active quam passive, per se vel alios, ab eis subdelegandos, audiendi, discutiendi, examinandi, & terminandi: ac omnia alia & singula in eadem Constitutione contenta executioni demandandi, eademque causas quascumque reassumendi & avocandi, quibuscumque Judicibus inhibendi, & aliis, prout in nostris Literis in huiusmodi forma Brevis desuper expeditis sub die quarta Junii 1605. Pontificatus Nostri Anno primo, plenius continetur, facultatem dedimus.

Quia vero ob generalitatem prædictarum Literarum nostrarum facile videri alicui posset, ea Nos commisisse, quæ nostræ intentionis committere minime fuit, idcirco ad solvendas huiusmodi difficultates, prædictarum Literarum tenorem præsentibus pro sufficienter expresso, & ad verbum inserto habentes;

Motu proprio, & ex certa nostra scientia, maturaque deliberatione, vigore præsentium declaramus, intentionis nostræ, eisdem Cardinalibus eas solummodo, & non alias causas civiles, criminales & mixtas, tam active quam passive ad Communitates & Universitates Status nostri mediate vel immediate subiectas pertinentes, per se vel alios, ut præmittitur, subdelegandos, audiendi, discutiendi, examinandi, expediendi & terminandi, reassumendi, & avocandi, quæ ad redditus & proventus (non tamen pœnarum maleficiorum) ad illas quomodolibet spectantes, & quæ in futurum spectabunt, aut rationem seu computorum redditiones, etiam ratione administrationis Annoræ seu Abundantiæ, & pecuniarum ac rerum; illis seu illi destinatarum, Civitatum, Terrarum & Locorum ejusdem Status Ecclesiastici, sive ad quorumcumque bonorum administrationes prædictarum Communitatum & Universitatum quomodocumque & qualitercumque pertinent & pertinebunt, facultatem tribuere, itaut eas tantum, & non alias causas iidem Cardinales per se vel alios subdelegandos, audire, discutere, examinare, expedire, & terminare, reassumere, & avocare a quibuscumque Judicibus, necnon iisdem inhibere, & omnia & singula in eis contenta, omnibusque aliis & singulis in prædictis literis nostris, facultatibus illis concessis in præmissis, & circa ea uti possent & valerent, ac possint & valeant.

Irritum decernentes & inane, quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus præmissis, necnon quibusvis

Con-



Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Anno Piscatoris die vigesima tertia Novembris Millefimo sexcentesimo septimo, Pontificatus Nostri Anno tertio.

§. 4. Postmodum pluribus ex debitoribus Communitatum sive Universitatum hujusmodi, præcipue Ecclesiasticis, aut aliis privilegiatis personis, suorum privilegiorum prætextu sese ab onerum eisdem Communitatibus debitorum solutione profus eximi, aut saltem illam retardare studentibus, & propterea causas, solutionem prædictam concernentes, ad alias Congregationes aliaque Tribunalia Urbis deferentibus, recolendæ memoriæ Innocentius Papa XI., etiam Prædecessor Noster, pro re hujusmodi examinanda & definienda præcipuam Congregationem ex dictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Congregationem super Immunitate Ecclesiastica, & Decretorum Concilii Tridentini Interpretum, ac super consultationibus Episcoporum & Regularium, necnon Boni regimini ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus Præfectis, illarumque Secretariis, deputaverit; & Congregatio sic deputata hujusmodi, semel & iterum habita, unum videlicet sub die quarta Decembris anni Domini MDCLXXX. cujus tenor est: *Quoad onera Cameralia solvenda ab Ecclesiasticis, servantur Constitutiones & Chirographa Summorum Pontificum, prout jacent; & quoad eorum interpretationem & executionem, ad Congregationem Boni Regiminis: Et alterum, Decreta, quæ postea ab eodem Innocentio Prædecessore approbata fuere, sub die quinta decima Januarii insequentis anni MDCLXXXI. ediderit. Secundo dicti Decreti tenor est sequens: Quoad onera Communitativa, suis loco & tempore exprimenda, Ecclesiasticis non teneri, ubi suppetunt facultates Communitatum; & providebitur in casibus particularibus per Sacram Congregationem Boni Regiminis.*

Clericorum:

Clericos conjugatos etiam habentes requisita Cap. 2. de Vita & honestate Clericorum in 6. & Sacri Concilii Tridentini, teneri ad omnia onera realia & mixta, nisi contra pro eis adfit legitima consuetudo.

Et quoad eorum interventum in Consiliis.

Quo vero ad eorum interventum in Consiliis, supplicandum esse Beatissimo, ut Ordinarii prohibeant tam Clericos cœlibes quam conjugatos, habentes supradicta requisita, esse de Consilio, nisi legitime renunciaverint privilegio Clericatus.

Ab Innocentio XII. Particulari Congregationi demandatum examen Appellationum, Recursuum &c.

§. 5. Demum ejusdem piæ rec. Innocentius Papa XII. etiam Prædecessor Noster, deputata pro renovatione & declaratione Constitutionis piæ me. Sixti Papæ Quinti, similiter prædecessoris Nostri, erectionem plurium Congregationum dictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium continentis, particulari plurium Romanæ Curie Prælatorum Congregatione, decretum illius die nona Augusti anni Domini Millefimi sexcentissimi nonagesimi tertii emanatum, quo causas supradictas contra quoscumque, necnon appellationes, reclamaciones, aut recursus super præmissis omnibus interponendos, ac cognitionem privilegiorum & exemptionum, an illa suffragarentur; atque onerum, an illa essent cameralia, communitativa, vel mixta, spectare ad Congregationem Boni Regiminis private quoad omnes alias Congregationes, Judices, & Tribunalia, etiam si ageretur de personis & locis Ecclesiasticis, quantumvis exemptis & privilegiatis; ac speciali nota dignis, sub eadem die nona Augusti approbaverit; particula autem dicti Decreti jurisdictionem prædictæ Congregationis Boni Regiminis concernens, est sequens, videlicet: *Et quoniam post eandem sa. me. Sixti Quinti Constitutionem Congregatio Boni Regiminis*

*instituta fuit pro felici & æconomico gubernio Communitatum Status Ecclesiastici: & ad hoc, ut sublatis debitorum subterfugiis expeditior esset exactio onerum & collectarum, eisdem Universitatibus incumbentium, exinde censuit Congregatio, causas omnes tam pro adimplemento Bullæ Boni Regiminis nuncupatæ; quam alterius declaratorie impressæ post Constit. X. Clementis Octavi, sive sint civiles sive criminales, aut mixtæ, juxta aliam Constitutionem XXXVIII. Pauli Quinti contra quoscumque earundem Universitatum Officiales, Administratores, Appaltatores, aut quosvis alios debitores, ex causa tamen onerum Cameralium & Communitativorum, aliorumque reddituum, in Tabella Congregationis descriptorum, sive etiam ratione publicæ Annonæ, necnon appellationes, reclamaciones, aut recursus, super præmissis omnibus interponendos, spectare ad eandem Congregationem private quoad omnes alias Congregationes, Judices & Tribunalia, etiam si agatur de personis & locis Ecclesiasticis, quantumvis exemptis & privilegiatis, ac speciali nota dignis, itaut ad eandem Congregationem Boni Regiminis pertineat private (ut supra) cognitio: an privilegia & exemptiones suffragentur contra dictas Communitates, earumque Administratores & Appaltatores: an onera sint Cameralia, Communitativa, vel mixta juxta prædictam Bullam declaratoriam sa. me. Clementis Octavi, & juxta alia Decreta Congregationis particularis, edita die quarta Decembris MDCLXXX. & decima quinta Januarii MDCLXXXI. a sa. me. Innocentio XI. approbata.*

At statutum, ut omnes causæ hujusmodi aut similes a Congreg. B. Regim. cognoscantur.

§. 6. Licet vero post dictorum Clementis & Pauli hujusmodi literas Apostolicas, ac utriusque Innocentii prædecessorum cautiones, in decretis expressas, indemnitati Communitatum seu Universitatum Nostri Status Ecclesiastici prædicti satis consultum fore sperari posset; nihilominus, ut etiam accepimus, illarum debitores ad præsens sub variis prætextuum exemptionum assertionibus, a jurisdictione prædictæ Congregationis Boni Regiminis non sine gravi Communitatum seu Universitatum hujusmodi, pluriumque ex nostris subditis præjudicio, declinare, & variis tergiversationibus ac subterfugiis ad alias Urbis nostræ Congregationes & Tribunalia confugere adhuc non cessent; proptereaque nos Communitates seu Universitates, universosque subditos nostros hujusmodi, a detrimento ex præmissis insurgente eximere, ac publico bono earundemque Communitatum seu Universitatum, felici & æconomice gubernationi, ut par est, prospicere, ac jurisdictionem prædictæ Congregationis Boni Regiminis illæsam subsistere volentes;

Causæ edendæ hujus Constitutionis.

§. 7. Motu proprio & ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostri, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Clementis & Pauli literas Apostolicas prædictas tam sub Plumbo, quam in forma Brevis, ut præfertur, expeditas: necnon Decreta, per utrumque Innocentium prædecessores, ut præfertur, approbata, ac respectivo omnia & singula in eis contenta & expressa, itaut illa deinceps adversus quemcumque lapsum temporis firma & inconcussa consistant, maximumque pondus apud quoscumque habeant, dicta Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo confirmamus & approbamus; illisque Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, omnesque & singulos tam juris quam facti & solemnitarum, ac quoscumque alios, quantumvis substantiales defectus, si qui desuper forsitan quomodolibet intervenerint, in eisdem supplemus.

Quia Prædecessorum Pontificum statutum confirmantur.

§. 8. Et ad validiorem præmissorum omnium effectum, eidem Congregationi Boni Regiminis

Congregationis Boni Regim. ju-



1734.  
iurisdictione ab-  
soluta & pri-  
vativa decla-  
tatur.

330  
privative quoad omnes & quoscumque alios  
Judices ordinarios vel delegatos, quavis aucto-  
ritate fungentes, aut prerogativa, dignitate, &  
præminentia fulgentes, etiam dictæ S. R. E. Ca-  
merarium; Thesaurarium Generalem, Cameram  
Apostolicam, ejusque Curie causarum genera-  
lem Auditorem, & Præsidentes Clericos, ac  
Causarum Palatii Nostri Apostolici Auditores,  
dictæque S. R. E. Cardinales, etiam de latere  
Legatos & Vicelegatos, respectively tam in Ro-  
mana Curia quam extra eam, jurisdictionem  
exercentes, ac etiam alias Cardinalium Congre-  
gationes, omnes & quascumque causas sive  
civiles vel criminales, aut mixtas, tam interesse  
Communitatum seu Universitatum quarumcum-  
que, nobis & Romano Pontifici pro tempore  
existenti, Sedique prædictæ mediate vel imme-  
diate subiectarum, quomodolibet respicientes,  
quam appellationum, reclamationum, recur-  
sum, nullitatum, seu notoria injuritiæ, nec-  
non revisionis, etiam prætextu cujusvis erroris,  
etiam calculi, aut reductionis ad arbitrium bo-  
ni viri, ac restitutionis in integrum, tam super  
præmissis quam super validitatibus & invalidita-  
tibus quarumcumque exemptionum vel immu-  
nitatum, quibusvis personis per easdem Com-  
munitates seu Universitates, sive etiam auctori-  
tate Apostolica, & per Nos, ac prædecessores  
Nostros concessarum: & an sint admittendæ,  
necne: ac super præteritis remissionibus seu de-  
falcationibus solutionum, eisdem Communita-  
tibus seu Universitatibus debitum ob quo-  
cumque in dicta Constitutione Clementis præde-  
cessoris expressos vel non expressos fortuitos  
casus, vel ex quacumque alia causa, casu,  
culpa, vel facto cujuscumque personæ, aut aliis  
ad instantiam quarumcumque personarum, ip-  
sis Communitatibus seu Universitatibus aliquid  
debentium, aut quidpiam ex præmissis peten-  
tium, tam Laicorum quam Clericorum, & cu-  
juscumque status, gradus, ordinis, dignitatis,  
conditionis, vel præminentie existentium,  
etiam Cardinalatus honore fulgentium, aut  
etiam quarumcumque Universitatum, Societa-  
tum, Congregationum, Collegiorum utriusque  
sexus, etiam Societatis Jesu, ac quorumcum-  
que Regularium Ordinum, etiam Mendican-  
tium, Ordinum Militarium, ac Hospitalium,  
etiam S. Joannis Hierosolymitani, & aliorum  
Institutorum, quibuscumque privilegiis & im-  
munitatibus gaudentium: Item Monasteriorum,  
Ecclesiarum, & piorum Locorum, etiam quo-  
cumque privilegio immunitate vel exemptione  
illa suffulta extiterint, ac de quibus specialis  
& expressa ac individua mentio præsentibus  
habenda foret; sive etiam viceversa ad ipsarum  
Communitatum seu Universitatum instantiam  
contra supradictos vel alios quoscumque, aut  
inter ipsamet Communitates seu Universitates  
invicem, occasione cujusvis laudi, arbitramen-  
ti, sententiæ, decreti, aut mandati per quo-  
cumque locorum Gubernatores, Potestates,  
aut Præsides, vel Legatos, aut quosvis alios  
Judices, seu Commissarios, etiam ad id delega-  
tos vel subdelegatos, aut arbitros vel arbitrato-  
res, quomodolibet lati aut relaxati, vel alias  
quomodolibet moras & movendas cum illarum  
dependentiis, emergentibus, incidentibus, an-  
nexis & connexis, summarie simpliciter & de  
plano sine strepitu & figura judicii, sola facti  
veritate inspecta, etiam terminis substantialibus  
non servatis, manu regia, audiendi, cognos-  
cendi, & sine debito terminandi: ac tam in  
Romana Curia quam extra eam, jurisdictionem,  
ut præfertur, exercentibus, superius  
expressis, & aliis quibusvis Judicibus & Mini-  
stris ac personis quoties opus fuerit, etiam  
sub censuris Ecclesiasticis & aliis penis, arbi-  
trio ejusdem Congregationis Boni Regiminis

infigendis, moderandis, & applicandis, inhi-  
bendi sive inhibitiones quascumque ab eis edi-  
tas, etiam vigore quarumcumque commissio-  
num Apostolicarum, non tamen Nostra & Suc-  
cessorum Nostrorum manu signatarum, mo-  
derandi aut revocandi: & prout justum vide-  
bitur, mandata quæcumque necessaria & op-  
portuna decernendi & relaxandi, ac omni &  
quacumque appellatione, reclamatione & recur-  
su omnino posthabitis, exequendi (citra tam-  
en pronunciationem sententiæ sanguinis) plenam,  
liberam & omnimodam facultatem, auctori-  
tatem & potestatem omnino spectare & per-  
tinere, ac ad eandem Congregationem Boni  
Regiminis valide competere, dicta Apostoli-  
ca auctoritate etiam perpetuò volumus & decla-  
ramus.

§. 9. Insuper ut æconomia bonorum & re-  
dituum earundem Communitatum seu Univer-  
sitarum ea, qua convenit, diligentia & inte-  
gritate impostorum exerceatur, ut dicta Con-  
gregatio Boni Regiminis, etiam privative quoad  
omnes & singulos Judices, Ministros, & perso-  
nas, ut supra expressas, & ut præfertur, qua-  
lificatas, etiam, ut præfertur, Cardinalatus  
honore fulgentes, plenam & liberam jurisdic-  
tionem circa electiones & deputationes quorum-  
cumque Ministrorum, æconomie Communi-  
tatum seu Universitarum hujusmodi præposito-  
rum, exercere libere & licite possit & valeat,  
auctoritate prædicta similiter perpetuò concedi-  
mus & indulgemus.

§. 10. Præsentes quoque literas, & in eis  
contenta & expressa quæcumque, nullo unquam  
tempore de subreptionis vel obreptionis, aut  
nullitatis vitio, vel intentionis nostræ, etiam  
ex eo, quod causæ, propter quas præmissa  
emanarunt, coram Nobis vel alibi adductæ,  
verificatæ & justificatæ: aut Communitatum  
seu Universitatum Status Ecclesiastici hujus-  
modi, Consules, Conservatores, Senatores, Con-  
salerii, Officiales, Ministri, Magistratus,  
& Deputati quicumque, illarumque debitores,  
ac Judices & Ministri, aliæque personæ, ut  
supra expressæ & qualificatæ, ac quicumque  
alii, in præmissis, & circa ea quomodolibet  
in quorumcumque contractu, conductu  
& obligationum vim interesse habentes, seu  
habere prætendentes, ad id vocari & audiri  
non fuerint, & consensum suum eisdem præ-  
missis non præstiterint, aut alio quovis defe-  
ctu, etiam quantumvis magno, inexcogita-  
to, & substantiali: sive etiam ex eo, quod  
eadem præsentibus extra Consistorium Nostrium  
secretum, nec de Venerabilium Fratrum No-  
strorum prædictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Car-  
dinalium consilio & assensu emanaverint, & in  
eis solemnitates, ac quævis alia servanda & ad-  
implenda, servata & adimpleta non fuerint,  
aut ex quocumque alio capite, etiam in cor-  
pore juris clauso, & quovis alio prætextu, oc-  
casione, vel causa, etiam quantumvis legiti-  
tima, justa, & privilegiata, quæque ad effectum  
validitatis præmissorum exprimenda foret, no-  
tari, impugnari, invalidari, retractari, in jus  
vel controversiam vocari, ad viam & terminos  
juris reduci, aut adversus illas quodcumque  
juris vel facti remedium, aut oris apertionem  
impetrari, neque illas sub quibusvis similibus  
vel dissimilibus gratiarum revocationibus, sus-  
pensionibus, limitationibus, derogationibus,  
aut aliis contrariis dispositionibus comprehen-  
di; sed semper ab illis excipi, & quoties  
illæ emanabunt, toties in pristinum & validis-  
simum statum restitutas, repositas, & plena-  
riè reintegratas, ac de novo etiam sub qua-  
cumque posteriori data, per dictam Congrega-  
tionem Boni Regiminis quodcumque eligenda,  
concessas, illasque validas & efficaces fore &

Etiam quoad  
Ministrorum  
electionem.

Præsentium  
Literarum  
robur ac fir-  
mitas.

elic,